



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopis Per Burdegalensem provinciam constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

780 Epistolarum Innocentij III.

pontificatus nostri anno sextodecimo.

*ABBATI SANCTI FLORENTII
Salmuriensis.*

*Epiſt. 64.
De primatia
Bituricensi.
Vide epif. 172.*

Constitutus in praesentia nostra venerabilis frater noster Burdegalensis Archiepiscopus nobis humiliter supplicavit quatinus cum venerabilis frater noster Bituricensis Archiepiscopus in provincia sua jus primatariae ad se afferat pertinere, super hoc causam inter eos committere dignaremur. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus quatenus duobus viris providis & honestis, quorum unus à parte una, reliquus verò ab altera tibi præsentetur, assumptis, causam super hoc audias cum eisdem, & usque ad diffinitivæ sententiae calculum procedens in ipsa, tandem ad nos remittas sufficienter instruētam, præfixo partibus termino competenti quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent justam auctore Domino sententiam recepturæ. Tudenique filii Abbas &c. Datum Laterani vi. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

*EPISCOPI PER
Burdegalensem provinciam constituta.*

*Epiſt. 65.
De eadem re.
Vide lib. 15
epif. 47. 130.*

Cum olim venerabilis frater noster Bituricensis Archiepiscopus auctoritate primatariae quam in provincia vestra sibi asserit pertinere venerabilem fratrem nostrum Burdegalensem Archiepiscopum à metropolitæ dignitatibz officio suspendisset pro eo quod ad suum vocatus Concilium accedere non curavit nec pro se aliquem responsalem idoneum destinare, ac super hujusmodi suspensionis sententia fuissest inter eundem Bituricensem & dilectum filium magistrum Amanum procuratorem ipsius Burdegalensis Archiepiscopi coram nobis diutius disputatum, tandem de fratribz nostrorum consilio sententiam ipsam ratam habuimus & usque ad satisfactionem idoneam præcepimus observari; hoc ad cautelam expresso, quod lis coram nobis, non de primataria, sed de sententia, extitit ventilata. Postmodum verò credentes ad satisfactionem sufficere competentem, pro predicta sententia relaxanda, ut memoratus Burdegalensis Archiepiscopus per se ipsum aut alium virum idoneum ad praesentiam dicti Bituricensis accederet, relaxationem ejusdem sententiae humiliter petiturus, & promissurus firmiter sub suarum, si necesse fore, testimonio litterarum quod ad ejus Concilium vocatus accede-

ret, facturus quod foret faciendum de jure, per litteras nostras ipsi Bituricensi dille meminimus in preceptis ut cum à Burdegalensi predicto foret taliter requiritus, predictam non differet sententiam relaxare, nullam penam inflaturus eidem, si fortè dictam sententiam non servarat, antequam per nos declaratum fuisset an esset eadem observanda; venerabili fratri nostro Turonensi Archiepiscopo & coniudicibus suis per scripta nostra mandantes ut Bituricensi jamdicto in mandati nostri executione cessante, ipsi spedictam sententiam relaxarent absque praejudicio juris sui. Nuper autem idem Burdegalensis Archiepiscopus ad nostram praesentiam accedens proposuit coram nobis quod de hujusmodi confirmatione sententiae nihil unquam per litteras ipsius Bituricensis aut nuntium sibi fuerat intimatum. Propter quod ipsam petiit à nobis humiliter relaxari. Nos igitur volentes utrique paterna sollicitudine providere, sententiam relaxamus memoratam, firmam promissionem recipientes à Burdegalensi predicto quod vocatus accederet ad ipsius Bituricensis Concilium, facturus quod de jure fuerit faciendum. Vos denique, fratres Episcopi, super vobis ipsi &c. Datum Laterani viii. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*ABBATI DE MELLIO
Patavienensis dioecesis & Preposito sancte crucis Augustensis.*

Oblata nobis ex parte venerabilis fratris nostri Salzeburgensis Archiepiscopi petitio continebat quod infra fines parochiae sue in insula quæ Chiemense vocatur duo sunt monasteria constituta; quorum unum moniales inhabitant, aliud verò Canonici regulares. Verum moniales abjecto penè penitus jugo modestæ regularis, sine fræno pudoris & verecundia obice evagantur per campos licentiae dissolutæ, ac sic se motibus exposuerunt carnalibus quod locut in quo habitant dici potest lupanar portiùs quam oratorium ab effectu. Dicitus autem Archiepiscopus ad expurgandam tantam labem volens extenderre manus suas, ut eodem moniales divisæ per alia religiosa cœnobia fortè proficiant, quæ in suo collegio merito deficiunt & exemplo, mutuo contagio corruptæ, proposuit quod ipsi per alia loca, in quibus religio floreat, collocatis, cathedram ibi pontificalem instituat, & bonis ipsius monasterij cum possessionibus quas ipse pro-

*Epiſt. 66.
De insulano
episcopante
in insula Che-
mene.
Vide tom. 1. Mi-
trop. Salizi. pag. 131. 132.*